

quod secure liceat Ottoni tribuere ; imo nihil est hodie legum Germanicarum, quod ab Ottonis successoribus usque ad Lotharium Saxonem profectum vel à quovam eorum conscriptum memoretur. d)

89. Lotharius II communiter quidem, sed ut mox e) fusius dicetur, falso traditur Romanas leges in Germaniam introduxisse. Quin imo circa jura nihil mutavit. Nullam certe legere est latam ab ipso legem, quæ Germaniam obligaverit. f)

90. Plures constitutiones promulgavit Fridericus I. in Roncaliis Italiæ campis, g) quarum magna pars hodie superest. Sed fortassis tum nihil eorum in Germania observatum est. Nec vero perinde illa ad res Germanicas attinent, & feudalia jura sua seorsim à Longobardicis inquam multis diversa habuit semper Germania. h)

91. Majoris igitur indubie apud Germanos autoritatis fuere, quas in Germania ipsa Fridericus ille tulit, quas inter

d) *Conr. c. 19.* e) §. 119. *seq.* f) *Conr. c. 25.* g) *Gvido Pancirolo de claris Leg. Interpret. l. 2. c. 14. p. 124.* h) *Conr. c. 25. p. 150.*